

sine principio est, ens unum est, ens infinitum est, ens immobile est; de Deo nempe sermonem habens. Quod Theophrastus et Philoponus et Simplicius affirmant. Quam rem etiam Aristoteles ipse videtur agnoscuisse ideoque primo Sapientiae dixisse.<sup>30</sup> in praesentem sane contemplationem causarum, nullo modo convenit de ipsis sermo. Quia scilicet illi theologica tractarunt, ipse vero physica principia tunc discutiebat quare<sup>31</sup> omittendi ad praesentem quaestionem. Quin imo etiam 1. Physico:<sup>32</sup> Utrum unum et immobile sit ens contemplari, non est de natura contemplari. Quare cum eorum contemplatio de uno et immobili ente esset, non erant in physicorum principiorum examen vocandi.

[299] At non sibi temperat Aristoteles, etiam si cognosceret eos<sup>33</sup> de natura quidem nequaquam agere, vocat in ius quoniam<sup>34</sup> naturales dubitationes accidit ipsos dicere. Id vero verum nequaquam est. Dicebant ipsi ens esse sine principio, unum, infinitum, immobile. Hic nec subiecta res neque ei rei haec attributa, naturalia sunt, neque ulla naturalis dubitatio poterat recta ratione cadere. Cadebat ea ratione, qua Zenoni imputaverat, Deum corpus esse asseverare at hic, quia ἀκίνητον, immobile ens dicebant in quaestionem inviti nolentesque trahuntur, non enim ista immobilitas naturalis res est, nec dubitatio, quae de ea posset haberi, naturalis esset. Quare violentia maxima huc trahuntur. At non decuit veritatis amatorem philosophum, non vera, non legitima de causa viros theologos in physicas quaestiones implicare.

25 Deinde illi de ente loquebantur: Aristoteles eos ad principia trahit. Aliud ens est, aliud (ni fallor) principium est. Atque ita bis de genere in genus transilit, de genere theologico ad genus physicum, de entis genere ad genus principii. Parmenides sane unum ens esse dicebat at non itidem dicebat unum esse princi-

<sup>30</sup> εἰς μὲν οὖν τὴν νῦν σκέψιν τῶν αἰτίων οὐδαμῶς συναρμόττει περὶ αὐτῶν ὁ λόγος. [ARIST. Metaph. 986b.12–14]

<sup>31</sup> ἀφετέοι πρὸς τὴν νῦν ζήτησιν. [ARIST. Metaph. 986b.26]

<sup>32</sup> τὸ μὲν οὖν εἰ ἔν καὶ ἀκίνητον τὸ ὄν σκοπεῖν, οὐ περὶ φύσεώς ἐστι σκοπεῖν. [ARIST. Ph. 185a.1]

<sup>33</sup> περὶ φύσεως μὲν οὐ. [ARIST. Ph. 185b.15]

<sup>34</sup> φυσικὰς δ' ἀπορίας συμβαίνει λέγειν αὐτοῖς. [ARIST. Ph. 185b.16]